INDEX LECTIONVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM ANNI MDCCCXXXVII.


A DIE XVII. APRILIS

INSTITVENDARVM.

PRAEMISSVM EST C. E. CHR. SCHNEIDERI IVDICIVM DE CICERONIS EP. AD FAM. L. V. 12.

1837

TYPIS VNIVERSITATIS.



VNIVERSITATIS LITTERARVM VRATISLAVIENSIS RECTOR ET SENATVS CIVIBVS S.

Epistolarum Ciceronis omnium celebratissima est ac paene famosa illa, quam L. Lucceio misit rerum Romanarum scriptori, qua eum rogat, ut res suas peculiari volumine scribat et non solum scribat, sed etiam ornet et non solum ornet, sed etiam in ornandis leges historiae et veritatis negligat. Qua de re offensionis plena nobis quum aliter, quam vulgo fit, sentiendum videretur, hac occasione data iudicium nostrum Vestrae, Commilitones, existimationi simul cum epistola ipsa proponere placuit. Verba autem Ciceronis secundum codicem Mediceum (A) adhibitis quatuor Redigeranis, membraneis duobus (LM) totidemque chartaceis (NO) et editione principe (P) dedimus paucis quibusdam ex coniectura mutatis, quae una cum discrepante illorum librorum scriptura ad calcem significavimus.

M. Cicero S. D. L. Lucceio Q. F.

Coram me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam paene
subrusticus, quae nunc expromam absens audacius; epistola enim non erubescit.
Ardeo cupiditate incredibili neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum 2
scriptis illustretur et celebretur tuis. Quod etsi mihi saepe ostendis te esse facturum,
tamen ignoscas velim huic festinationi meae. Genus enim scriptorum tuorum, etsi 3
erat semper a me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam meque ita
vel cepit vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commen-
dari tuis. Neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam im- 4
mortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate testimonii tui vel indicio
benevolentiae vel suavitate ingenii vivi perfruamur. Neque tamen haec quum scri- 5
bebam eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum et iam institu-
tarum; sed quia videbam Italici belli et civilis historiam iam a te paene esse perfectam,
dixeras autem mihi te reliquas res ordiri, deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut

cogitares, coniunctene malles cum reliquis rebus nostra contexere, an, ut multi
Graeci fecerunt, Callisthenes Troicum bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numanti-
num, qui omnes a perpetuis suis historiis ea, quae dixi, bella separaverunt, tu quo-
6 que item civilem coniurationem ab hostilibus externisque bellis seiungeres. Equidem
ad nostram laudem non multum video interesse; sed ad properationem meam quiddam
interest non te exspectare, dum ad locum venias, ac statim caussam illam totam et
tempus arripere; et simul, si uno in argumento unaque in persona mens tua tota
versabitur, cerno iam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint.
7 Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris im-
ponam (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam ut ornes me postulem.
8 Quid, si illa tibi non tanto opere videntur ornanda? Sed tamen, qui semel vere-
9 cundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. Itaque te
plane etiam atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius etiam, quam fortasse sen-
tis, et in eo leges historiae negligas gratiamque illam, de qua suavissime quodam in
prooemio scripsisti, a qua te affici non magis potuisse demonstras, quam Herculem
Xenophontium illum a voluptate, eam, si me tibi vehementius commendabit, ne
aspernere amorique nostro plusculum etiam, quam concedet veritas, largiare.
10 Quod si te adducemus, ut hoc suscipias, erit, ut mihi persuadeo, materies digna
11 facultate et copia tua. A principio enim coniurationis usque ad reditum nostrum
videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse, in quo et illa poteris uti civi-
lium commutationum scientia vel in explicandis caussis rerum novarum vel in reme-
diis incommodorum, quum et reprehendes ea, quae vituperanda duces, et quae pla-
cebunt exponendis rationibus comprobabis et, si liberius, ut consuesti, agendum
12 putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam etiam
casus nostri varietatem tibi in scribendo suppeditabunt, plenam cuiusdam voluptatis,
13 quae vehementer animos hominum in legendo retinere possit. Nihil est enim aptius
ad delectationem lectoris, quam temporum varietates fortunaeque vicissitudines; quae,
etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae.
14 Habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem. Ceteris vero nulla
perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus etiam
15 ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam
Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi avelli iubet
spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est clipeum esse salvum; ut etiam in
16 vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo non
17 erectum Themistocli fuga exituque retinetur? Etenim ordo ipse annalium medio-
criter nos retinet quasi enumeratione fastorum; at viri saepe excellentis ancipites
variique casus habent admirationem, exspectationem, laetitiam, molestiam, spem,
timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissima lectionis
18 voluptate. Quo mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut a continen-
tibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, se-
cernas hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum: habet enim varios actus

multasque actiones et consiliorum et temporum. Ac non vereor, ne assentatiun- 19
cula quadam aucupari tuam gratiam videar quum hoc demonstrem, me a te potissi-
mum ornari celebrarique velle. Neque enim tu is es, qui quid sis nescias et qui 20
non eos magis, qui te non admirentur, invidos, quam eos, qui laudent, assentatores
arbitrere, neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum
commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii glo-
riam consequatur. Neque enim Alexander ille gratiae caussa ab Apelle potissimum 21
pingi et a Lysippo fingi volebat, sed quod illorum artem quum ipsis, tum etiam sibi
gloriae fore putabat. Atque illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant, 22
quae vel si nulla sint, nihilo sint tamen obscuriores clari viri; nec minus est Spar-
tiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam
passus est esse, quam qui in eo genere laborarunt; unus enim Xenophontis libellus
in eo rege laudando facile omnes imagines omnium statuasque superavit. Atque 23
hoc praestantius mihi fuerit et ad laetitiam animi et ad memoriae dignitatem, si in
tua scripta pervenero, quam si in ceterorum, quod non ingenium mihi solum suppe-
ditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti a Timaeo aut ab Herodoto Themistocli, sed
etiam auctoritas clarissimi et spectatissimi viri et in re publica maximis gravissimisque
caussis cogniti atque in primis probati; ut mihi non solum praeconium, quod quum
in Sigeum venisset Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave
testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. Placet enim Hector ille 24
mihi Naevianus, qui non tantum laudari se laetatur, sed addit etiam a laudato viro.
Quod si a te non impetro, hoc est, si quae te res impedierit (neque enim fas esse 25
arbitror quicquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere quod
nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et cla-
rorum virorum. Sed, quod te non fugit, haec sunt in hoc genere vitia: et vere- 26
cundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum, et praetereant,
si quid reprehendendum est. Accedit etiam ut minor sit fides, minor auctoritas, 27
multi denique reprehendant et dicant verecundiores esse praecones ludorum gymni-
corum, qui quum ceteris coronas imposuerint victoribus eorumque nomina magna
voce pronuntiarint, quum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium prae-
conem adhibeant, ne sua voce se ipsi victores esse praedicent. Haec nos vitare
cupimus et, si recipis caussam nostram, vitabimus; idque ut facias rogamus.
Ac ne forte mirere, cur, quum mihi saepe ostenderis te accuratissime nostrorum 28
temporum consilia atque eventus litteris mandaturum, a te id nunc tanto opere et
tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festi-
nationis, quod alacres animo sumus, ut et ceteri viventibus nobis ex libris tuis nos
cognoscant, et nosmetipsi vivi gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid 29
acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis caus-
sam, conficiam commentarios rerum omnium: sin autem differs me in tempus aliud,
coram tecum loquar. Tu interea non cessabis et ea, quae habes instituta, perpolies
nosque diliges.

Varietas scripturae

M. Tullius Ci. L. Luceio Q. filio L Marcus Cicero salutem dicit. L. Luceio. Q. filio M M. Cicero. sal. d. Lucio. Luceio. Q. filio. O eadem haec) h. e. O expromam) exprimam P

2 ut ego) e. u. P nomen ut nostrum) ut nostrum nomen LO saepe) om. O te) om. P

3 meque ita) me itaque P incendit) intendit P cuperem) cuperet N celerrime res nostras) celerrume r. n. A celer rumores nostros N celeriter rumores nostros MOP celeriter rumures nostros L monumentis) monimentis AM

4 me) ene N etiam) et L indicio) iudicio MOP benevolentiae) benivolentiae LMNOP vivi) viri O perfruamur) perfruantur L perfluantur O

5 quum) quom N (cum LMOP) quantis) lacuna est in N quam O oneribus) honeribus L premerere) premereris P et iam) etiam N historiam) storiam O paene esse) e. p. P perfectam) profectam LO deesse) desse A nolui) volui O ut) om. LMO cogitares) cogitare M malles) males O reliquis) caeteris M ut) om. L Callisthenes) Calisthenes LM Calistenes P Calistones N Chalisthenes O Troicum) troycum L Timaeus) tireus M timens N Pyrrhi) pyrri L pirrhi N Polybius) Polibius M Polibens N Polibins P Numantinum) Numantium N bella) om. O separaverunt) seperaverunt P item) ita LM om. O ab) ita ab O hostilibus) hostibus LMNP externisque) extornisque N extraneisque L extranisque O

6 ad nostram) ut n. A quiddam) quidam N quidem P interest) interesset P dum) donec M ac statim) at statum M tempus) honus O arripere) accipere N in argumento) argumento NO omnia) post *ornatiora* LO

7 tamen) tantum O impudenter) imprudenter NP primum) primo O oneris) honeris L tua) tuam L ornes) ornos N tibi) om. N tanto opere) tantopere LMNOP

8 tamen) tantum O fines) finis LN naviter) guaviter N graviter P

9 et ornes) ornes O et oneres L etiam) om. P quam) lac. N quodam) quondam LP quoddam M prooemio) prohemio LNOP prohoemio M a qua) et qua M et a qua P affici) effecti A affeci N demonstras) demonstrans A eam si me) si me iam LO vehementius) vementius A (et sic semper) vehementer M concedet) concedit NP

10 adducemus) abducemus O ut) om. LNOP mihi) nihil O

11 reditum) redditum LO corpus) corpum O et illa) ulla O commutationum) esse iurationum N vel-novarum) om. O quum) quom N et reprehendes) etiam r. LO comprobabis et, si liberius) comprobandis et liberis O ut consuesti) lac. N putabis) putabas LO insidias) insias O proditionem) perditionem N

12 voluptatis) voluntatis O legendo) legem dote scripto A legendo te scripto LN legendo scripto MP legendo te scriptore O. Nobis haec ut Schützio interpolata visa sunt. Sed quod idem *tenere* pro *retinere* contra codices edidit, imitandum non existimavimus, quum ipsum illud *re* alteram interpolationem (*scriptore*) peperisse videretur.

13 lectoris-delectationem) om. N fuerunt) fuerint LO iucundae) ioc. LO doloris) om. LO

14 perfunctis) profunctis N propria molestia) m. p. LO p. modestia N misericordia) misericordi N iucunda) ioc. LN

15 Epaminondas) epam mundas L Epaminundas P Epiminundas N aparminidas O delectat? qui tum) delectatur qui cum N posteaquam) postquam N percontanti) percunt. O percunct. LMNP etiam in vulneris) imulneris O aequo) aeque, superscr. a m. s. o, A moreretur) moreret L moraretur P

erectum) ereptum MN Themistocli) Themistodi P Themistoclis M Themistocles LNO exituque) Sic scriptum a Cicerone coniicientibus cum Bentivoglio et Matthiaeo assentimur, quum *redituque*, quod in codicibus est, commodam explicationem non habeat. retinetur) retinet LO tenetur P 16

Etenim) etiam P mediocriter) non m. M enumeratione) ematione O At) Atque P saepe excellentia) s. excellentes NO e. s. M. Quae verborum collocatio ad sensum commodior videtur. Sed virum Cicero excellentem sic insignire et distinguere singularem potuit a multis, quorum in annalibus mentio fieri solet. Aliter, sed pari insolentia Virgilius Aen. I. 148: *Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est seditio.* ancipites) ancipitesque O molestiam) modestiam N timorem) timores P concluduntur) excluduntur, superscr. ab eadem m. con, A expletur animus iucundissima) i. a. e. P. (ioc. LMNO) voluptate) voluntate O 17

Quo) Quod LMOP secernas) secernis M secernans O et consiliorum) consiliorum LO 18

assentatiuncula) ad scutatiuncula N quadam aucupari) quedam accupari O quum) quam A quom N demonstrem) demostrem NO 19

es, qui) es A quid) om. LMNOP sis) scis O nescias) nescius LMNOP qui te-quam eos) om. N invidos) mundos O laudent) laudant L arbitrere) arbitrare O eum) enim N. 20

gratiae) graeciae O ab) om. N Apelle) Appelle LMP a Lysippo) Alysippo L a Lisippo P asilippo N quum) tum P tum) et tamen N 21

ignotis) ingnota is N nihilo) nichiolo L sint) sunt LMOP Nec) neque LO necque N minus) minor M est) enim est P Spartiates) spartiat est N Agesilaus) hagesilaus M hagesylaus L Agesillaus P hegesilaus O perhibendus) perihendus O neque fictam) n. f. tam A n. f. eam P om. N Xenophontis) Xenephontis P omnium) hominum MP statuasque) statuas N 22

Timoleonti) Thimoleonti M tmoleunti L timoleunti O timolenti N Timaeo) temeo N Herodoto) Heredoto P Themistocli) Themistodi P Themistocles N viri) om. h. l. LMOP re publica) rei. p. LO. Genitivus etiam in A est. cogniti) contingi P probati) p. viri LMNOP quum) quom N in Sigeum) ad S. M impertitum) impartitum P inpart. N 23

Placet) placeat LO mihi Naevianus) N. m. P m. neviamus L m. venianus O m. venianus M laudari) laudare L 24

impedierit) impedierint MO quicquam) qui cum A me rogantem) in me rogatem O nonnulli) non ulli N saepe reprehendunt) r. s. P scribam) et scr. O et clarorum) clarorum O 25

vitia) vita O sese) se P quid) quod ANP et praetereant) praetereant LO et praetereunt N reprehendendum est) reprehendendum M 26

Accedit) accidit MP ut) quod P minor sit) miror sit M denique reprehendant) r. d. P dicant) dicantur O praecones) praecone L ludorum gymnicorum) g. l. O gygn. l. L l. gimn. M l. gymainicorum N imposuerint) imposuerunt P pronuntiarint) pronuntiaverunt NP se ipsi) i. s. LMO victores) auctores N praedicent) praedicant O 27

mirere) mireris M a te id) id a te N tanto opere) tantopere LMNOP alacres) alacre O ut et) ut LNOP ceteri) ceteris O libris tuis) t. literis LO nos) non L cognoscant) agnoscant O vivi) viri N vi in P gloriola) gloria LMP perfruamur) perfluamur O 28

est) esset P suscipis) suscipias LO rerum omnium) o. r. LO autem) aut O tecum) te M non) nos O non et N perpolies) perpoles M nosque) nos quoque P In fine *Vale* addunt LOP 29

Crimina, in quae incurrere talis epistolae scriptorem necesse fuit, nonnulli ita diluere conati sunt, ut non a philosopho, sed a politico scriptam esse dicerent, qui quum optime de patria meritus indignissimam poenam subisset, eo vehementius res a se gestas laudari seque vivum aliqua parte eius gloriae, quae mortuum certa maneret, frui cupiverit. Sic fere Middletonus in vita Ciceronis T. I. p. 460 (T. II. p. 235 interpret. German.) et Martyni-Laguna in Epistolis Cicer. ed. Lips. 1804 p. 247, qui et Garvii nostri de suo cunctis placendi studio ingenue profitentis auctoritatem et Plinium minorem adhibet Epist. L. VIIII. 19 omnes, qui magnum aliquod memorandumque fecerint, si immortalitatem, quam meruerint, sectentur, non modo venia, verum etiam laude dignissimos iudicantem. Ceterum quod sexcenti secundarum partium actores in votis habuerint, id primarum actorem liberius professum non esse indignandum; dignam fuisse materiem posteritatis memoria et tanti scriptoris ingenio; denique Lucceium artifici aliquo temperamento perite usurum fuisse, quo et amico satisfieret et veritas rebus constaret; nam impudenter mentiri in tanta rerum pulcherrimarum luce et auctoritate profecto opus non fuisse. Itaque excusandum, non laudandum, sed tamen nec reprehendendum Ciceronem existimat. Alii familiaritatem, quae Ciceroni cum Lucceio intercesserit, excusant, quae liberius ei et cupidius loqui permiserit. Vt vero res laude dignae laudentur, hominis iusti et patriae amantis esse cupere, ut quam plurimi ad similis laudis studium excitentur. Sic Dammius in Epp. ad fam. interpr. German. Berol. editae 1747 T. II. p. 129.

Haec ut ad excusandum Ciceronem, si egeat excusatione, nonnihil valere concedamus, ad iudicium de eius moribus probabiliter dicta non videntur. Hominem fingere nobis iubemur rerum a se gestarum gloria adeo inflatum, ut singulari libro eas a scriptore clarissimo celebrandas existimaverit, eundemque laudis ita cupidum, ut scriptorem in se laudando leges historiae et veritatis negligere iusserit et iste si negaret ipsum de se scribere necesse habuerit. Quo animo si Ciceronem statuendum est omni tempore fuisse vel etiam uno tempore tanta laudis cupidine laborasse, profecto non modo inter sapientes referendus, sed ne mediocriter quidem cordatis adnumerandus videtur. Atqui ipse disertis verbis se gloriola sua vivum perfrui ideoque a Lucceio laudari cupere fatetur, ipse pudore absterritum se dicit quo minus coram haec cum eo ageret, et bene et naviter impudentem sese appellat, qui tale quid ab eo postulet. Enimvero haec ipsa confessio, qua si homo summus aliqui et rerum fastigio potitus in epistola ad multo inferiorem data, aut par apud parem intima sibi familiaritate et aliorum naevorum conscientia iunctum et tamquam alterum se uteretur, animi sententiam expromere videri posset, haec, inquam, confessio Ciceronis ad Lucceium scribentis pro vera haberi non potest. Erat enim Lucceius nobilis et dives senator, potentissimorum hominum amicitia florens, a re publica tum quidem remotus et litteris deditus, sed et antea maximis in rebus versatus et postea is, quocum Pompeius de gravissimis rebus communicare soleret, Ciceronis vero

amicus ille quidem, at non ita familiaris, ut nihil inter eos secreti et separati esset, id quod ipsum epistolae genus doctum et artificiosum satis comprobat. Si igitur neque hac de caussa neque vero magnifico quodam contemptu ista scripsisse Ciceronem credibile est, restat ut aliud prae se tulisse, aliud spectasse existimetur. Quod quale sit, quum ex ipsa epistola, tum ex ea, qua tum erat, conditione intelligi potest. Nam quod de festinatione sua scribit, nisi forte tam sitientem laudis fuisse credimus, ut re vera tolerare nequiverit, dum ad eam partem historiae perpetuae Lucceius veniret, eiusmodi est, ut illo ipso tempore aliquid ei caussae fuisse necesse sit, cur interesse sua statueret ut quam celerrime fieret quod a Lucceio fieri volebat. Agebatur autem octavus circiter mensis ex quo restitutus id primum et maxime operam dabat, ut statum suum exilio quindecim mensium vehementer concussum firmaret, secundum, ut pristinam dignitatem recuperaret. Quorum quum ab initio utrumque simul eisdem rebus consequi se posse sperasset, deinde vero intellexisset alterutrum esse missum faciendum, quando quidem potentes ut idem de re publica, quod ipse, sentirent adduci non possent, optimates autem, qui idem sentirent, nihilo minus inimicos haberet, salutis potius, quam dignitatis rationem habens ad potentium partes se contulerat et librum ediderat de Caesaris laudibus. Sed valde id reluctante animo fecerat et subturpicule fecisse et a veris, rectis, honestis consiliis descivisse sibi videbatur, quemadmodum Attico Ep. L. IIII. 5 fatetur, quae epistola paullo ante nostram est scripta. Itaque a praesentis temporis indignitate ad praeteriti splendorem se referebat et dolori ex eis, quae tum facienda et patienda essent, concepto remedium dabat ante factorum memoriam. Quoniam autem fieri non poterat, quin quod ipse indignum persona sua sentiret esse, id apud bonos existimationi suae nocere statueret, huic vulneri mederi et quod esset acceptum detrimenti quam primum sarciri cupiens easdem res illas a se consule gestas laudari et quae optime meritus de civitate gravissima a civibus tulisset exponi a scriptore magnae auctoritatis volebat. Deinde, quod ex eadem ad Atticum epistola cognoscimus, Caesarem non solum propterea laudaverat, ut ipsi placeret, sed etiam ut optimatibus tum quoque sibi invidia obtrectantibus iisdemque Caesaris inimicissimis aegre faceret. Cui ulciscendi cupiditati quid magis optandum erat, quam ut perfidia et simulatio istorum, a quibus inductum et proditum se putaret, liberius a scriptore fide digno notaretur? Denique iam tum sensisse Ciceronem, quam difficile esset sensum in re publica praesertim rectum et confirmatum deponere, epistola ad Atticum L. IIII. 6 iisdem, quibus nostra, diebus data docet, quae hominem status sui admodum poenitentem et pugnare adversus potentes si minus cogitantem, certe optantem exhibet. Nec mirum, si resuscitatam consulatus speciem cum praesenti oppressione comparans vehementius indignabatur et omnibus modis praesidia quaerebat, quibus aliquam saltem partem veteris libertatis dignitatisque sibi vindicaret. Non nihil autem, quod eo pertineret, allaturus Lucceii liber talis, qualem haec epistola instruebat, merito videbatur, quum omnium legentium opinionem magnam et praeclaram de viro sic laudato fieri necesse esset.

Has fuisse caussas suspicamur, quibus adductus Cicero laudari a Lucceio cuperet, significatasque ab ipso putamus illis locis, quibus de auctoritate eius sibi impertienda et de notandis adversariis verba facit; sed quia non nimis obstrictus ei teneri vellet et fortasse etiam dubitaret, quantum ei esset credendum, aperte et plane quid ageret demonstrare noluisse et occultatis veris caussis immodicum quendam laudis amorem quasi morbum praetexuisse. Quo ingenue scilicet confitendo totaque epistola ad summae ingenuitatis et simplicitatis ostentationem componenda hoc effecit, ut valde bellam sibi scripsisse videretur. Ita enim Attico L. IIII. ep. 6 scribit: *Epistolam Lucceio nunc quam misi, qua meas res ut scribat rogo, fac ut ab eo sumas: valde bella est.* Nimirum hoc ipsum artificii cuiusdam conscientia potius, quam propter verborum elegantiam aut sententiarum pulchritudinem praedicasse de ea videtur. Valete. D. Vratislaviae d. XX. m. Mart. a. MDCCCXXXVII.